



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Dvbivm XI. Intra quod tempus beneficia per Concordata Germaniæ
conferri debeant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

litteras expeditas, vacat per obitum. num. 27. quia ex collatione dominium & omne jus consecutus fuit; ideoq; beneficium sic vacans, si fuerit in mense Ordinarii, ab eodem potest conferri. Secus autem, si moriatur resignans, antequam resignatarius expedierit litteras, consensu tamen per resignantem praestito; beneficium enim tunc vacabit per renunciationem, & non per obitum: ac proinde resignatarius poterit postea expedire litteras, & capere possessionem. *Flamin. Paris. d. quest. num. 59. Chokier loco cit.*

DVBIVM XI.

Intra quod tempus beneficia per Concordata Germaniae conferri debeant?

Papa vigore Concordatorum tenetur intra tres menses conferre; ita ut saltem in partibus constat de facta Provisione. §. I. **R**espondeo primò, Papa vigore Concordatorum Germaniae debet de beneficiis in sex mensibus sibi reservatis vacantibus, intra tres menses à die notae vacationis in loco beneficii, providere; alioquin Ordinarii de illis liberè poterunt disponere juxta num. 5. dictorum Concordatorum; qui terminus à Gregorio XIII. Pontifice Max. ex causis modificatus fuit, ut nimirum si intra tres menses non constiterit in loco beneficii de hujusmodi provisione Apostolica per fidem, testimonia, seu publicationem à previso faciendam, licet provisio ad locum beneficii nedum pervenerit, tum priùs dicti beneficii collatio spectet ad Ordinarium, uti ex infrascripta ejus Constitutione liquet,

GREGO-

bus, ad quos directa sunt, recipiantur, vel recepta expendantur: interdum quoque literis Apostolicis expeditis, & gratiâ purificatâ, seu mandatis prædictis receptis, & inquisitione completâ, antequàm omnimoda executio perficiatur, propter diversa impedimenta, quæ frequenter succedunt, tempus trium mensium, ex quo vacatio beneficii in loco ipsius nota est, expiret, ac proinde Ordinarii locorum, aut alii ad quos talium beneficiorum dispositio, cessantibus Apostolicis reservationibus, pertinet, lapso tempore prædicto, licet priusquàm illud laberetur, provisionis sive alterius dispositionis de illis à dicta Sede iam gratia facta fuerit (quod ipsum ad tribuendum & quærendum ius, satis superq; esse certa iuris interpretatione frequenter declaratum est) illa tamen conferre contendant. Quæ de causa multis Religione & pietate insignibus, quando ii post ostensum virtutis & doctrinæ suæ specimen, atque inde emensos labores, & sumptus, beneficiis potiri deberent, alii præoccupatores obtentu Ordinariæ collationis huiusmodi contra adversantur.

*Eamq; hic
Pontifex
declarat.*

II. Nos indignum rati, quod temporis mora, quam ad perscrutandum accuratiùs talium probitatem, industriam; & alia requisita intercedere pro utilitate Ecclesiæ necesse est, locum iniuriis aperiat, attendentesq; verba prædicta: *in loco beneficii*, cum verbis *notæ vacationis*, quæ protinùs antecedunt, coniungi, & ad illa dumtaxat referri, ac voluntatem concedentis, sensumq; concessionis. &

nis, & literarum prædictarum sic esse, ut dispositio beneficii intra tres menses à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri, deq; gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter utriusque juris interpretes jam pridem controversâ, summa ratione iudicatum apparet, vix enim est, ut itineribus non modò infestis, aut prohibitis, quod ferè semper aliquo contingit, sed etiam expeditis, quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel paulisper moratus, in eadem se recipere tantâ temporis angustia possit. Quocircâ æquitate & iustitiâ suadentibus, præsentium auctoritate declaramus concessionem NICOLAI Papæ, & literas prædictas locum omninò non habere, quod Ordinarii, aut alii collatores prædicti, post lapsum trium mensium ex die notæ vacationis in loco beneficii, disponere possint de ullis beneficiis prædictis, aliàs sub concessione & literis prædictis comprehensis, extra Romanam Curiam in mensibus prædictis quoquo modo vacantibus vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiscumque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum sit factam à Sede prædicta dispositionem huiusmodi in longum obtegere, illi quibus deinceps gratiæ huiusmodi concedentur, etiam concessionum fidem & testimonium intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii huiusmodi, vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneantur.

III. Decernentes omnes, & quascumq; dispositiones

V

de

*Decretum
errans.*

de dictis beneficiis ab eisdem collatoribus post significationem, seu publicationem hujusmodi pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris vel momenti fore. Sicq; in quibusvis causis pendentibus & futuris judicari debere; nec non irritum & inane, quidquid secus super his ab eisdem collatoribus, aut quibuscumque aliis scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Collatorum
inobedi-
entiam pæ-
næ.*

IV. Quod si fortè quisquam collatorum prædictorum fuerit præsentium violator, cum à beneficiorum & officiorum collatione tam diu suspendimus, donec ipse veniam petens restitutionis gratiam à Sede prædicta meruerit obtinere,

*Fides trã-
sumptio-
rum.*

V. Cæterùm volumus, ut præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ ob signatis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

*Sanctio
pœnalis.*

VI. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, decreti, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto. Kalend. Novembris, Pontificatus Nostri anno quinto,

§. 2. In quo apparet S. Sedis Apostolicæ cum Ordinariis Germaniæ benignitas, quòd etiam sibi soli legem statuendo contra jus commune *c. licet. 3. de supplen. neglig. Pralat. c. postu lasti. 15. de concess. præben. gloss. in c. statutum. 3. in verb. numerandum. sub fin. de præben. in 6. VV amesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 218. num. 3. & consil. 247. num. 23. patiatur devolutionem fieri à supremo ad inferiorem, Branden ad Concordat. quest. 6. num. 17. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 11. num. 4. 5. & 28. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 10. num. 3.*

In quo pa-
ret Sedis
Apostolicæ
benignitas,
quod per-
mittat à
se ad infe-
riores de-
volutionem
fieri.

§. 3. Notant tamen prædicti Doctores, quod si ejusmodi negligentia intervenerit, non per hoc concurrentiam exclu- di, quòd minùs lapsis dictis tribus mensibus, Summus Pontifex conferat beneficium sic vacans, cujus collationis dies si prior sit collatione Ordinarii, dubium non est, quin à Pontifice provisus provisum ab Ordinario excludat, *c. dudum. 14. de præben. in 6.* Cùm inter Papam, & Ordinarios collatores sit lo- cus præventionis; nam licet Concordata tollant gratias præ- ventivas, & expectativas quoad beneficia vacatura, minimè tamen excludunt gratias præventivas, seu collationes de va- cantibus. Neque enim cùm Pontifex alicui, seu aliquibus concedit facultatem conferendi beneficia, sibi illam omni- nò adimit, saltem quòd minùs illum, seu illos prævenire possit in vacante beneficio *d. c. dudum. 14. §. nos igitur de præben. in 6.* Imò prohibitis expectativis & præventivis gratiis quoad va- catura, non censetur quoque prohibita præventio per Ordina- riam viam; quia omnium beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio est in manu Papæ. *Clem. 1. ut lite pend. Rebuff. in praxi tit. de devolut. num. 46. 47. 48. & 49. & ad Concord. Gallia. de mand. Apost. §. declarantes. vers. iure præventionis. Branden ad Concord. Germ. quest. 6. num. 18 & quest. 12. n. 19. & notab. 1. num. 3. VV ames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 237. num. 6. & consil. 239. num. 2. Gonzalez ad reg. 8. §. 3. proæm. à n. 1. & gloss. 25. num. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. Les- sius de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 45. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 9. & seq. & cap. 5. num. 44. Chokier loco præcit. num. 5. 15. 16. & 17. Layman supra cit. loco num. 2. Barbosa de off. & potest. E- pisc. part. 3. alleg. 57. num. 10. & seq. Zypaus in consultat. canonic. lib. 3.*

Eo tamen
casu cum
inferiori-
bus con-ur-
vere potest.

de pr. ben. consultat. 5. vers. Et verè. Rota apud Gregor XV. decis. 500. num. 7. & decis. 291. in addit. num. 11. Et ita sæpissimè Concordata Germaniæ interpretata est Rota Romana, tum in una Meten. Canonicius. 8. Novembris 1577. coram R. P. D. de Rubens, tum in altera Paderbornen. Canonicius. 29. Martii 1610. coram Reverendissimo D. Coccino, nec non coram eodem. in Eluen. beneficii. quæ postrema decisio refertur à Marchesano de Commission. part. 2. in fine inter adiectas ibidem decisiones Rotaales in imprimendo omissas fol. mihi 607. quod videlicet Concordata non obstant, quò minus Papa in mensibus Ordinariis possit providere, & sit locus præventioni; quia hujusmodi Concordata tollunt tantùm obstacula ratione gratiarum præventivarum, & reservationum quoad vacatura, ut patet ex verbis & tenore ipsorum Concordatorum supra in princip. sub num. 5. ibi, per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam &c. & sequitur, quò minus de illis, cum vacabunt &c. & relinquunt Ordinarios collatores in eorum jure Ordinatio; non tamen idèd ut inquit Rota in pract. decisionibus, Papa censetur sibi ligasse manus, ut in dictis sex mensibus Ordinariis non possit conferre, cum ipse sit universalis Ordinarius omnium, c. per principalem & c. cuncta per mundum. 9. q. 3. Nec obstat, si dicas, quod Concordata videantur etiam excludere alias gratias, præter præventivas, per illa verba sub eod. n. 5. aut quamvis aliam dispositionem &c. quia secundùm interpretationem Rota in dd. decisionibus debent intelligi de dispositionibus similibus, & sic de gratiis præventivis, cum dicatur de gratia expectativa, & inferiùs subdat, cum vacabunt. Pariter non obstat, quod in Concordatis adsit decretum irritans, quia illud sortitur naturam principalis dispositionis quoad gratias præventivas tantùm, & non ampliatur dispositiones; sed nec Papam ligat, cum non dicatur, etiam per Nos &c. ita Rota in prædictis decisionibus. qualis clausula irritans habetur in Concordatis Regnorum Poloniæ & Galliæ infra tit. 4. & 5. relatis. Quamquam Pontifex, vix aut rarissimè, & non sine gravissima causa utatur via præventionis, aut concursus in mensibus Ordinariis, ut evitentur confusiones & lites. Branden. ad Concord. quest.

quæst. 12. num. 20. *Lesius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 48. Layman Theol. moral. lib. 4. trac. 2. cap. 10. num. 3.*

§. 4. De beneficiis autem apud Sedem Apostolicam vacantibus (in cæteris enim nullum præfinitum est tempus) *Rebuff. eod. tit. de devolut. n. 5. Malderus in 2. 2. D. Thome. trac. 9. cap. 2. dub. 5. vers. notandum secundo. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 12. Pontifex intra mensem à die vacationis providere debet, alioquin dicto tempore lapsò, valebunt collationes ab Ordinariis factæ potestate ordinaria, perinde, ac si nulla unquam reservatio existisset. c. statutum. 3. de præben. in 6. Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. beneficia. ad tertium. & part. 2. verb. reservatio vers. decimo. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 96. Chokier ad reg. 1. cancell. num. 33. vers. prima igitur. Barbosa de iure Eccles. univ. lib. 3. cap. 13. num. 32 & 34.*

De beneficiis vero apud Sedem Apostolicam vacantibus Papa intra mensem providere debet.

§. 5. Non operatur tamen hæc restrictio ad mensem, ut post mensem omninò excludatur Papa à conferendo, vel cum Ordinariis concurrente, aut eos præveniando, ut *suprà hoc dub. §. 3. ostendi*, sed ad hoc tantum, ut post dictum mensem manus Ordinarii non censeantur ulterius ligatæ *gloss. in d. c. statutum. Rebuff. loc. cit. num. 46. 47. 48. & 49. VVarnesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 237. sub num. 6. & consil. 239. num. 3. Chokier suprà. Barbosa loco præcitato num. 35.*

Licet post mensem cum Ordinariis collatoribus concurrere queat.

§. 6. Respondeo secundo, in iisdem Concordatis nullum certum Ordinariis constitui tempus, intra quod illi conferre debeant; ideoq; relinqui iuris communis dispositioni, quæ Ordinariis semestri præfigit à tempore scientiæ vacationis numerandum, ad beneficia in mensibus suis vacantia conferenda, alioquin eo elapso, illa velut caduca ad Superiores gradatim usque ad Papam devolvantur. *c. nulla. 2. e quia diversitatem. 5. de concess. præben. c. licet. 3. de supplen. neglig. Prælat. & Clem. uni. ca. eod. tit. Rebuff. suprà num. 4. & 10. Francif. leo in thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 3. num. 30. Lesius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 46. Malderus in 2. 2. D. Thome. trac. 9. cap. 2. dub. 5. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 1. & seq. & cap. 3. num. 1. ac seq. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 58. num. 1. & 5. Rotam recent. part. 2. decis. 186. num. 1.*

Ordinariis intra sex menses conferre tenentur, alioquin ad Superiores fit devolutio.

Quorum
quolibet
etiam sex
menses
habet ad
conferen-
dum.

§. 7. Quo casu quilibet eorum habet similiter sex menses ad conferendum, *Garcias dicta part. 10. cap. 3. num. 1. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 58. num. 11. & 12.* Ita ut si v.g. collatio ad collatorem inferiorem spectaverit, eo negligente, devolvetur ad Episcopum tanquam ad proximum Superiorem, *præcit. c. 2. de concess. præben. Rebuff. supra de devolut. n. 25. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 27. quæst. 4. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 13. num. 109.* nequaquam tamen ad Capitulum Sede vacante, *Abb. inc. cum olim. sub num. 2. de maior. & obed. Rebuff. lococit. num. 101. Barbosa præcit. cap. 13. num. 109.* Quod procedit etiam in collatoribus regularibus, horum enim potestas ex negligentia in conferendis beneficiis ad Episcopum devolvetur, ut ipse possit conferre tanquam Ordinarius, si exempti non fuerint, alioquin tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, si exempti sint, & Romano Pontifici immediatè subiecti, *tex. in Clem. unica. de supplen. neglig. Pralat. Rebuff. loc. cit. num. 37. Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. beneficia. vers. ad tertium. Erasmi. Chokier. de iurisdic. Ordin. in exemp. part. 4. quæst. 30. num. 8. Barbosa loco præcit.* Id tamen intellige de Episcopo loci, in quo sita fuerint beneficia, etiam si collatores in alia Diocesi morentur *gloss. in verb. locorum, in dicta Clem. unic. de supplen. neglig. Pralat. Rebuff. supra num. 39. Garcias de benef. part. 5. cap. 3. num. 28. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. d. cap. 13. num. 109.* à Capitulo autem Cathedralis Ecclesiæ negligente in conferendis beneficiis, quæ ad suam collationem separatim ab Episcopo pertinent, ad Episcopum tanquam immediatum Superiorem fit devolutio, iuxta *tex. in c. 2. de concess. præben. gloss. inc. irrefragabili. 13. verb. per Capitulum. de off. Ordin. Rebuff. dicto loco num. 21. Azor. loc. cit. cap. 27. quæst. 2. Barbosa supra num. 110.* Si verò collatio ad Capitulum & Episcopum communiter spectaverit, tunc devolutio ex causa negligentiae non fiet ad Episcopum, sed potius Archiepiscopum, uti ad proximum Superiorem, sicuti & à Capitulo Metropolitano ad Patriarcham, seu Primatem, si sit, alioquin ad Nuntium Apostolicum, & demum ad Papam *c. postulasti. 15. de concess. præben. c. licet. 3. de supplen. neglig. Pralat. Rebuffus supra num. 23.*

num. 23. Malderus loc. præcit. Rota decis. 1. aliàs 313. de supplen neglig. Prælat. in nov. & part. 2. recent. decis. 186. num. 1

§. 8. Episcopo porrò negligente intra debitum tempus conferre beneficia ad suam collationem separatim à Capitulo spectantia, devolutio fit ad ipsum Capitulum tanquàm à Superiore ad inferiorem, diverso ab aliis exemplo. c. 2. de concess. præben. ob communionem, quæ est inter Episcopum & suum Capitulum, VVames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 246. sub num. 16. Quod quidem locum tantùm habet in beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi proprio iure, non verò ubi ad eundem pertinuerint iure speciali, vel devolato, tunc enim hæc collatio, negligente Episcopo, non devolvitur ad Capitulum, sed Superiorem, uti ad Papam, si collatio competebat vigore indulti Apostolici. Rebuff. supra num. 22. & 23. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 33. & 34. Barbosa supra num. 111. Vbi verò Episcopus fuerit exemptus, & Romano Pontifici immediatè subiectus, tunc illo negligente, potestas ad eundem Pontificem, vel Legatum de latere, non autem ad Capitulum devolvitur c. sicut. & c. licet. 3. de supplen. neglig. Prælat. c. cum singula. 32. §. fin. de præben. in 6. Abb. inc. 2. de success. præben. num. 7. & 8. Rebuff. loc. cit. num. 36. & in Concordat. Gallie tit. de collat. §. si quis verò. in gloss. verb. ad alium Superiorem. versic. in exemptis. Garcias de benef. part. 10. cap. 3. num. 3. Barbosa cit. cap. 13. num. 112. idq; in omnibus exemptis passim locum habet, exceptis regularibus; cùm Papa sit eorum Superior proximus, c. auctoritate. 4. de privileg. in 6. VVames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 29. num. 6. & consil. 30. num. 3. ac consil. 246. num. 12. Erasmi Chokier de iurisdic. Ordin. in exempt. part. 4. quest. 30. num. 5. 8. & 12. Barbosa de off. ac poteit. Episc. part. 3. alleg. 58. num. 13.

Ab Episcopo devolutio fit ad Capitulum.

§. 9. Idem autem tempus præfixum quoque est electionibus & præsentationibus, nisi sit patronus laicus, cui quatuor tantùm menses concessi sunt c. unico de iur. patron. in 6. & c. quoniam. 3. ac c. cum propter. 27. X. eod. tit. Rebuff. dicto tit. de devolut. n. 3. Lessius de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubitat. 6. n. 26. Garcias de benef. part. 10. cap. 2. num. 6. sex autem ex consortio patroni

Idemq; terminus electionibus & præsentationibus est præfix-

Eccle-

155, excepto
 patrono la-
 ico, cui
 quatuor
 tantum
 concessi
 sunt men-
 ses.

Ecclesiastici. *Lessius loc. cit. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 12. num. 168.* etiam si laicus habeat maiorem partem; jus patronatus enim mixtum assumit naturam Ecclesiastici patroni *Flamin. Paris. de resig. lib. 2. quest. 4. num. 50. Barbosa loco cit. num. 169.* aut nisi de Episcopi, vel Abbatis, & ad similes majores dignitates electione agatur, cui perficiendæ præstitutum est trimestre, propterea quod in longa vacatione majorum officiorum majus periculum soleat versari, *c. dilectus. 12. de concess. præben. c. ne pro defectu. 41. de elect. & ibi gloss. Rebuff. loco præcit. num. 4. Malderus supra vers. notandū etiam c. Camis. in summa lib. 2. tit. 28 §. 5. Gudelin. de iure noviss. lib. 6. cap. 8. num. 29. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 1. cap. 19. num. 85. & 145.* Vnde dum eligentes negligunt tempus præscriptum, electio devolvitur ad proximum Superiorem. *Barbosa ibidem.* Patrono autem seu Ecclesiastico, seu laico intra tempus præfixum præsentare negligente, tunc jus conferendi ad instituentem devolvetur. *Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 46. Barbosa de iure Eccles. univers. lib. 3. cap. 12. num. 165. & cap. 13. num. 108.*

Electio ad
 Præposi-
 turas Leo-
 dienses de-
 bet fieri
 intra 30.
 dies.

§. 10. Veruntamen Leodiensibus ex Indulto *Sixti Papæ V.* vim Concordatorum habete, in electionibus ad Præposituras tam Majoris, quàm cæterarum Ecclesiarum Collegiatarum Civitatis & ditionis Leodiensis, præfiguntur triginta dies à die vacationis computandi, intra quos eadem perficiantur, & earundem confirmatio intra semestre à die electionis numerandum à Summo Pontifice petatur; alioquin electiones sunt nullæ, & dictarum Præpositurarum dispositio ad Sedem Apostolicam devolvitur, uti videre licet apud *Chokier in comment. ad reg. 2. cancell. sub num. 16. & à nobis relatum est supra tit. 1. dub. 1. §. 12.*

Beneficia
 in omnibus
 Ordinibus
 Dic. ejani
 resignata,
 vel permutata
 intra
 sex menses
 conferri
 debere cer-
 tus est

§. 11. Respondeo tertio, quamvis iuxta complurium Doctorum sententiam beneficia in manibus Ordinarii Episcopi Diocæsani, resignata vel permutata ex Constitutione *Gregorii XIII.* Pontificis Maximi intra mensem à die admissionis conferri debeant; alioquin eo elapso ad Papam devolvantur, *Flamin. Paris. de resignat. lib. 11. quest. 2. num. 6. & 7. & quest. 5. num. 4. & 10. 13. Garcias de benef. part. 11. cap. 3. num. 285. & 337.* neco tamen ius

Gregorii
 13. Papa
 Constit. 85.
 Bullarii
 tom. 29

in iudicio non videtur hæc ipsorum interpretatio conformis textui dictæ *Gregorianæ*, quia per verba eiusdem Constitutionis: *Ipsi* (videlicet Ordinarii) *intra mensem negotium universum admissionis, vel reiectionis resignationis huiusmodi, & si per eos facienda erit, provisionis resignati beneficii iuxta Apostolicas & alias canonicas sanctiones, omninò absolvant &c.* id ipsum non præscribitur; nam particula & ibidem interposita sensum disiungit, ac proinde orationem separatã tacit, quasi dicat, quod negotium provisionis resignati beneficii iuxta Apostolicas & alias Canonicas sanctiones omninò absolvant, & sic collationis tempus regulari debet iuxta dispositionem iuris communis in, *c. nulla. 2. de concess. præben.* videlicet, ut intra sex menses peragatur. Sola enim admissio & reiectio resignationis, in quibus cadere posset fraus, censentur restrictæ & limitatæ ad mensem: de provisione enim id nequaquam dici potest; quod vel ex eo patet, nam cum certum sit, attentâ dispositione Concilii Tridentini *sess. 24. de reform. cap. 18.* concursum in parochialibus, etiam per resignationem vacantibus esse faciendum, & per Constitutionem Pii Papæ V. ea de re editam, ad conferendam semestre sit concessum, nec fuerit huic Constitutioni per supradictam *Gregorii XIII.* derogatum, videretur contrarietatem implicare, si intra mensem facienda esset collatio huiusmodi parochialis, præcedente con-

Pii Papæ
5. Constit.
33. Bulla-
rii tom. 2.
relata su-
per hoc
tit. 1. dub.
6 p. 5. 6.

curso, uti post *Massobr. in praxi habendi concursum ad paroch. requisit. 7. dub. 1. n. 2. 3. & seq.* bene advertit *Barbosa de iure Eccles. univ. lib. 3. cap. 15. §. 2. sub num. 113.*

X

DVBI-